Ad Quodlibetariam Quaestio Medica, matutinis Concertationibus agitanda die Jovis 22ᵃ Januarij, In Scholis Medicorum, M. Claudio Boyuin D. M. Praeside. 398

An Corpus humanum triplici facultate regatur?

Artis Medicae subiectum homo est; qui ad ideam universi effictus, proportione quadam in se habet omnia quae mundus suo sinu complectitur. Pars eius praecipua est anima, quae simplex quiddam est, coelestis et individua, totaque in toto et qualibet eius parte: sed quae tamen tribus se prodit facultatibus, naturali, vitali et animali. Quae in unum communem totius conspirantes, sunt inter se ita affectae, ut mutuis sibi subsidiis utantur, praesidiisque suo sibi ut earum aliqua concidente ceterae collabantur. Distribuuntur actionibus et operibus suis sedibus et instrumentis. Naturalis enim in iecore, vitalis in corde, animalis in cerebro velut sede propria consistit. Tria quoque singulis organa subserviunt venae, arteriae et nervi; quae et suo quaeque fonti unum quodam cum substantia singulis membris inseruntur.

Naturalis quae omnium viventium communis est, et reliquarum velut basis (ut quas sustinet et conservat) tria sunt munia: generare, augere, et alere. Primum ad propagandam speciem comparatum est, in qua triplex situatur ὁμοιότης: generis et materiae, formae et temperamento, et effigiei et conformatione vel phantasia. Posteriora duo singulis conservandis sunt dicata, quae suas functiones recte obire non possunt nisi augeantur, seduntque augere nisi nutriantur. Ad auctionem vero tria concurrunt; corporis subiectum quod in trinam dimensionem accrescit; vis auctrix quae [illegible] sibi, et alimentum plurimum, quod cum sanorum triplicis fluoris substantiae reparatio. Ad perfectam denique nutritionem triplex ipsius alimenti requiritur coctio: χυλωσις ventriculi propria, cuius vitium a ceteris non emendatur. αἱμάτωσις parenchymati iecoris tribuenda: et ὁμοίωσις quae sola insiti caloris ope completur.

Cordi visceri calidissimo et propriae actionis necessitate praestantissimo non una, sed triplex inest facultas. Prima est vitalis, quae ceteris illius sola intendum officiunt. Cuius munus est calorem innatum victu quotidiano reparabilem tueri, quo tanquam vinculo corporis et animi complexus continetur, sicuti eiusdem penuria dissolvitur. Qui caloris vicem, spiritum simul cum humido radicali comprehendit, quae tria sunt eius subiecti cognomina. Vitalis subsidio est pulsifica quae arteriis cum corde communis est, et utrisque peculiaris. Primum tamen in corde ut in fonte residet, ab eoque in arterias ut in rivulos influit. Unde simul cum eodem dilatantur et contrahuntur. Tertia est θυμοειδὴς radix animi pathematum. Quae a tribus causis dependet, obiecto praesenti, futuro vel praeterito: conceptu in animo eius opinione: et cordis ipsius robore quo scilicet vehementius moderatius vel languidius commovetur.

Tantum cordis calorem ne vel cresceret nimium vel oppressus extinguatur, quodam velut flabello ventilari sibi naturaeque oportuit. Cui muneri natura providit triplici praesidio: pulsu, respiratione, et transpiratione. Pulsus nihil est aliud quam motus cordis et arteriarum perpetuus, quo nativi caloris temperies servatur, introducto aere per diastolem, et fuliginosa excrementa per systolen expurgantur, et spiritus animalis in cerebro generatur. Respiratio cordis aestum magis temperat, tum inspiratione aeris, tum expiratione fuliginis. Cuius causa efficiens est facultas animalis. Organa triplicia: generantia, [illegible] musculi thoracis cum diaphragmate: deducentia, naris et utraque arteria, aspera et venosa: praeparantia, et quae pulmonis qui haustum aerem corrigunt ne cor eius frigiditate vel impuritate offendatur. Utilitas eadem quae pulsus, nempe caloris innati custodia et spiritus tum vitalis tum animalis nutritio. Quod si ea esset intendum et in systolis διαπνοὴ [illegible] huic praestat opera cuius praesidio calor debilis ad [illegible] [illegible].

Quod caelum in mundo universo, caput est in microcosmo. Supremo loco situm est, figura rotundum, sedes rationis, sensuumque et motus voluntarii principium. Sunt enim eius illae functiones facultatis animalis, quae partim in cerebro, partim toto corpore a radicibus perficiuntur. Ad sensum tria concurrunt, facultas quae influit a cerebro: instrumentum triplex nervus mollis distributus, spiritus vector facultatis, et membrum excipiendis rerum simulacris idoneum. Obiectum idem triplex, proprium singulis ut calor tactui, commune multis ut figura, et τὸ συμβεβηκόλον ut substantia. Ad motum quoque tria requiruntur: τὸ κινοῦν facultas motrix quae a voluntate impellitur: τὸ κινούμενον corpus mobile: et musculus primarium motus voluntarij instrumentum, ex nervo ligamento et carne compactus. Principis denique facultatis tres sunt differentiae, phantasia, ratiocinatio et memoria: quae non sedibus distinguuntur, nec omnes ad [illegible] eius officiuntur.

Ergo Corpus humanum triplici facultate regitur.

Afferebat Joannes Cousin Parisinus Scholae Archidiaconus, anno salutis 1609.

D. D. disputaturi
M. Joannes Riolan Prof. reg.
M. Andreas le Gros
M. Joannes le Mercier.
M. Michael Toutain.
M. Guillelmus l'Escaillon.
M. Petrus Collier.
M. Claudius Bazin.
M. Gentianus Blaenod.
M. Nicolaus Ellain.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE